Edit. I pag. no, Ioannis Pontificis & Symmachi patricii homicida, dixisse magnæ virtutis solitarium: *Hesterno die, hora nona, inter Ioannem Papam & Symmachum patricium discinctus atque discalceatus, & vinctis manibus deductus, in hanc vicinam Vulcani ollam* (Aetnæam) *iactatus est Theodoricus.*

874

CONRADVS III.

I

Conradus gente Wild- & Rhingrauius.

ERat Waldgrauius in Dünen *, Rheingrauius zum Stein, Canonicus metropolitanus, ecclesiæ S. Bartholomæi Francofurti Præpositus **.

1) * Rectius *VVildgrauius in Dune* (hodie *Dhaun*) *Rhingrauius zum Stein*, vt in antiquis catalogis dicitur; siue, vt in inscriptione quadam in ædis Moguntinæ maioris peristylio est, *Comes Siluestris de Dune*, *Rhingrauius de Lapide.*

natus patre Ioanne II.

2) Fuit autem filius *Ioannis II* Wild- & Rheingrauii, nepos *Ioannis I*, qui *Hedvvigen* Wildgrauiam, portionis Dhaunensis heredem, in matrimonio habuit: frater vero *Ioannis III*, qui nouo cum Wildgrauiis coniugio, *Gerhardi*, lineæ Kirbergensis vltimi, filiam *Alheiden* sibi sociauit. Conf. *Spenerus* op. Herald. parte speciali lib. I cap. LXXVI § IV p. 307, *Imhofius* notit. Procerum Imperii lib. V cap. IV § V p. 315.

Res lucem accipit a schemate, quod apponimus.

* * * *
* *

fuit praefectus Rustenbergens.

3) Moguntiæ Clero principi adscriptus, cum & ingenio & virtute maximis se dignum muneribus ostendisset, Rustenbergæ Præfecti titulo impositus fuit; Francofurti ad Mœnum vero Præpositi ad D. Bartholomæum consecutus honores est. Illud alibi memorabitur fusius. Hoc iam auctori notatum **. Factus autem fuit Præpositus anno MCCCCXIV, electus a Capitulo. *Lersnerus* chron. Francofurtens. parte II cap. XXXIV p. 110.

Præpositus Francofurtensis.

eligitur Archiepiscopus

II Et electus fuit anno MCCCCXIX, Octobris die X, non Moguntiæ, propter tumultuantes tum ciues, sed Rüdelsheimii *.

Rüdisheimii

*1) Lege *Rüdesheimii*; vt bene habet *Dieffenbachius* in catalogo. Est autem Rüdeshemium municipium Rhingauiæ, oppido Bingen in dextro Rheni litore fere obiectum, ac natalibus *Rudolfi* de *Rüdesheim* non minus celebre, quam prouentu vini.

vasallisque ac officialibus Moguntinis renunciatur.

2) Simul autem ac ad mitram vocatus erat, Collegii principis Decanus ac Canonici Archiepiscopatus Beneficiariis, Castrensibus, Præfectis, ceterisque Officialibus (*allen des egenanten Stifts Fürstenmannen, Edelmannen, Burgmannen, Dienstmannen, Ambtlüten* &c) se Conradum elegisse, notum fecerunt, simulque mandarunt, vt quamprimum compareant, eique verbis conceptis (*nach lud eines zedels, die uch dan geleſen vverden ſol*) dicant sacramentum. Significarunt autem id per litteras simul ac delegatos e gremio suo, *VVilhelmum*, Comitem *de* Nassaw, Præpositum, *Eberhardum*, Pincernam *de* Erbach, *Ioannem* von *Levvenstein*, dictum *Randeck*, & *Ioannem* de *Rodenstein*. Litterarum clausula est: *Datum Erenstein vff den Fritag nach S. Dyonisii*, *MCCCCXIX.* Inuenies eas in codice Diplomatico.

a Pontifice probatur.

3) Pontifex vero Martinus V auditis, quibus factam electionem examinandam commiserat, *Alamanno*, S. Eusebii Cardinale Presbytero, & *Alfonso*, S. Eustachii Cardinale Diacono, tum suo eum iudicio, testimonioque probauit, tum litteris Florentiæ a. d. XVIII Kalend. Ianuar. signatis Archiepiscopatus Moguntini Vasallis siue Beneficiariis (vt in codice Diplomatico videre est) Apostolica commendauit auctoritate. Vt adeo sine vllo impedimento Sedem inierit.

academiæ Erfurtensi dat Vicecancellarium.

4) Ipse interea memor, Archiepiscopum Moguntinum academiæ Erfurtensis Cancellarium esse perpetuum, ne quid, quod suarum esset partium, intermitteret, vices suas *Ioanni Granenborn*, Professori in ea Theologo, viroque morum & litterarum præstantia excellenti, commisit, ac statim sub regiminis sui primordia, tabulis, quas codici eidem insertas vides, commendauit.

fit Prouisor

5) Anno sequenti MCCCCXX ad procurandas

Fuldenſis. randas eccleſiæ Fuldenſis res animum traducebat. *Friſeus* auctor eſt, Ioannem Epiſcopum Herbipolenſem oculum illis adieciſſe. Quum vero videret, ſolum ſe parum eſſe profecturum, laboris ſocium ſibi adſciniſſe Conradum; quo factum, vt in eccleſiæ Fuldenſis ſuſcepti ſint prouiſores. (in *Ioanne* II cap. XVI p. 700) Vtcunque vero ſe res habet: ſtatus monaſterii tum temporis admodum erat turbulentus, Abbate *Ioanne* & *Hermanno* Adiutore quam grauiſſime inter ſe contendentibus; vt ſane prouiſoribus fuerit opus, qui, ne res eccleſiæ prorſus irent peſſum, operam darent. Iniere autem Conradus & Ioannes muneris illius procurationem octauo poſt diem memoria trium ex oriente Magorum illuſtrem, populo tum in fidem ſollenniter accepto. Edit. I p. 874

Clerum litteris hortatur ad vitæ caſtimoniã.

III Anno MCCCCXX poſt dominicam *Exaudi* dedit ad Cleri Optimates litteras Eltvilla, quibus eum de vitiis aliis, tum vero maxime de obſcæno concubinatu funditus euellendo monuit*; & teſtatur MSL. Martini V iuſſu Moguntinæ diœceſios inſtitutam viſitationem per Cardinalem Placentinum, eandemque in templorum quorundam thecis aſſeruari. v. § 4 n. 11

*1) Dedi eas, vt legere poſſis, in codice Diplomatico. Sigillatim vero Canonicos ſerio admodum monuit, vt Prælatis maiori, quam hactenus, ſtudio & honorem exhiberent ac obſequium; data ſimul Decanis facultate, minus morigeros pœnis legibus conſtitutis coercendi.

componit Spirenſes cũ Epiſcopo,

2) Inde litem, quæ Rabano, Epiſcopo Spirenſi, cum ciuibus Spirenſibus intercedebat, & in bellum iam exarſerat, lata decidit ſententia. Ipſe enim finiendæ illius a Pontifice dictus fuerat ſequeſter. Decretum, quod tulit, ſecunda Pentecoſtes ſigillo ſuo firmarunt Conſules, Ciuitatisque Senatus. *Lehmannus* chron. Spirenſ. lib. VII cap. LXXXV pag. 809.

pacem conciliat Suinfurtenſibus cum Epiſc. Wirzburg.

3) Hæc vero dum agerentur, *Ioanni* de *Brun*, Epiſcopo Wirzburgenſi, grauis cum Suinfurtenſibus erat contentio. Quod enim ciuitas transactione, quam *Adolfus* Archiepiſcopus Moguntinus & *Lambertus* Antiſtes Bambergenſis fecerant, ſtare detrectaret, Ioannes lege agendum ratus, ſumma vi actionem eidem intendit, ciuibus ad forum Ducatus ſui prouinciale vocatis. Qui ſatius rati, auxiliis opportune parandis intendere, quam in ius ambulare, id declinabant, ſocietatem cum *Dietericis* ſeniore & iuniore, *Dominis* de *Bickenbach*, *Erckingero* de *Seinsheim*, Equite, eius item filio *Michaele*, *Friderico* item, *Dieterico*, *Balthaſare*, *Sigiſmundo*, & *Eberhardo* de *Thüngen* coeuntes. Qua re tantum abeſt, vt Ioannes a propoſito ſuo reuocatus fuerit, vt potius, cum ad diem conſtitutum vadimonium haud obirent, in contumaciam eos condemnaret, ac ſacro notaret interdicto. Proſcripſiſſe eos, addit *Friſeus*. Hinc ad vim contentio excedere, *Hermanno* de *VVeihers* & *Euchario* de *Thann* Suinfurtenſium in fortunas & agrum hoſtiliter impetum facientibus: fœderatis (qui tum temporis propter inſignes, quibus orti, familias *die Bundsherrn* dicebantur) ſimiliter armis tumultuariis Epiſcopi fines inuadentibus. *Friſeus* chron. Wirzb. in *Ioanne II* cap. XVII p. 700, *Hofmannus* annalium Bambergenſium lib. V § XLII p. 229. Commodum euenit, vt Conradus intercederet. Is enim controuerſia ſuis momentis a *Ioanne* de *Hirſchorn*, Milite, *Hartmanno Echter*, & *Philippo* de *Itſtein*, Protonotario, ponderata, ſententiam tulit, qua res ad aliquam concordiæ faciem reducta. Ea condemnati Suinfurtenſes ad duo florenorum Rhenenſium millia, Ioanni pro impenſa in bellum facta pendenda. Acta hæc, vt tabularum prodit clauſula, Martis poſt diem Ioanni feſtum.

Erfurti ciues ſibi obſtringit homagio.

4) *Menſe Auguſto venit* Erfordiam, *ſuamque in fidem ciuitatem recepit, ne Moguntinæ vrbis exemplo, quæ furioſe tumultuabatur, ſeducta, dominum excluderet. Homagium in templo S. Seueri exactum, & a ſingulis de Senatu præſtitum eſt. Populus in turma iurauit.* Ita *Gudenus* hiſtoriæ Erfurtenſis lib. II § XXI p. 130.

Hersfeldenſes in tutelam ſuſcipit

5) Poſt aliquanto Hersfeldenſibus promiſit, fortunas eorum, ſalutem, & incolumitatem, non minus quam ſuorum, omni ſe cura fideque propugnaturum. Diploma, quod iis, vt hoc magis ita eſſe confiderent, tradidit, alia inter habet, *Albertum* Abbatem, *Eberhardum* Decanum, totamque Congregationem id tum reuerenter ac ſtudioſe expetiiſſe. Perſcriptum autem eſt Aſchaffenburgi ſabbato poſt celebritatem D. Seueri Epiſcopi.

ciuibus Moguntinis vetera priuilegia confirmat.

6) Menſe dein Decembri præcipite tabulas, quibus ciuitati vetus de immunitate a telonio & vectigalibus priuilegium confirmabat, iam ante XV Iulii die (qui memoriæ Apoſtolorum in diuerſas orbis prouincias diſperſorum ſacer haberi ſolet) confectas, Senatui in manus porrexit; quod qua ſollemnitate peractum fuerit, veteri, quod tractaui, apographo his adſcriptum fuit verbis; *Diſen brieff hat Biſchof* Cunrad Ringr. *off den Dinſtag off den H. Criſtabend in dem iare nach Chriſti geburt MCCCCXX in der groſſen ſtoben in dem Dyregarten zu Menze mit ſinen liplichen truvven, Hern* Clas Dulin *von des Rats vnd der Stette vvegen von Menze in ſin hant globt feſte vnd ſtede zu halden, in gegenvvurtigkeit des Edlen Herren, Grave* Philips *Grave* zu *Naſſavve vnd* zu *Sarbrucken, Grave* Wilhelm *von* Naſſawe, *genant* von Bilnſtein*, *Dumprobiſt zu Menze, Herrn* Peter *von* Vdenheim, *Schulemeiſter, Her* Iohann *von* Lewenſtein *genant* Randecke, *Domherre zu Menze* &c.

* hodie *Beilſtein*

v. n. 16 IV Anno MCCCCXXIII prouincialem coegit ſynodum, quæ in lucem exiit. Anno MCCCCXXIV oppidum Steinhemium cum XIV pagis, multiſque

Edit. I p. 874 que aquarum & siluarum iuribus emit ab Epsteinianis Baronibus. Aschaffenburgensem arcem instaurauit magnificentius; obsedit cum aliis Rheni Electoribus Spiram, & cum aduersus Bohemos belligerari statuisset Imperator, hunc suum in ipsius Imperii administratione decennalem iussit esse Vicarium. Quod initio quidem Principibus nonnullis displicuit; sed ita se illa in dignitate gessit, vt nullum vlli querimoniæ locum reliquerit. v. n. 8 v. n. 9

diœcesi Fuldensi praefectum dat.

1) Enimuero, vt his interiiciam, quæ auctor præteriit; cetera vero ad genuinas temporis rationes reuocem, res postulat. Ab anno igitur MCCCCXXIII & MCCCCXXIV velim regrediaris ad MCCCCXXI. Hoc autem luculenter ostendit, qua cura fideque ecclesiæ Fuldensis rebus prospexerit. Cum enim, similiter ac Herbipolensis, coram iis administrandis vacare haud posset, prouido censebat consilio, quo minus detrimenti quidpiam paterentur, illarum procurationi certum præficere Satrapen. Cum laudasset sententiam Wirzburgensis, quem eligerent, quærebant. Quærentibus id genus muneri obeundo præ aliis par videbatur *Eberhardus* de *Buchenavv*, qui Steinauiæ suum habebat domicilium. Erat enim eximiæ domi nobilitatis, ceterum vero actis admodum vir toga militiaque. Eum itaque *dominica*, vt auctoritatis habent tabellæ, *qua cantatur in ecclesia Dei* Reminiscere, supremum diœcesis Fuldensis Præfectum constituere, decreto ei in annum quadringentorum florenorum stipendio.

Comitiis Norimbergensibus interest.

2) Hæc inter Sigismundus Imperator de Boiemis ad obsequium redigendis agebat, Ordinibus Imperii Norimbergam ad conuentum vocatis. Qui cum ibi de subigendis illis, & extirpandis nouarum opinionum auctoribus deliberarent, placuit Principibus ad Rhenum Electoribus, sua inter se consociare consilia. Statuerunt autem, si quidem aduocarentur in auxilium, tum nempe coniunctim Cæsari se velle respondere, nec dissociatis hac in caussa animis abire in partes. Tabulæ, quibus vna cum Treuirensi, Coloniensi, & Palatino, Conradus suum præfixit nomen, datæ die Georgio martyri festa.

cum Marchionibus Missnia fœdus init.

3) Paucis post diebus (*vff vnsers Hern lichnams abend*) iidem *Friderico*, *VVilhelmo*, & *Friderico*, Misniæ Marchionibus, inito iiscum Wirzburgi fœdere, & studium aduersus Hussitas spoponderunt & suppetias. Metus enim erat, eos inter hæc in Misniam se effusuros. Quam imminenti periculo subtrahendam censebant cum ceteri, tum Conradus maxime; Marchionibus, dum de salute sua anxii erant, magna fide dextram porrigens. Eo fœdere simul decreuere, neminem, qui dogmatibus Boiemorum addictus sit, suis in terris se toleraturos, & quo facilius sentes istos, vt vocant, extirpare liceat, ac funditus tollere, vnumquemque sibi subditorum, qui virilis sit sexus, modo annum ætatis duodecimum excesserit, sacramento obstricturos, vt auitæ inhæreat doctrinæ, & quos nouarum opinionum suspectos intellexerit, sine mora ad magistratus deferat. Pactionis tabulas habet *Müllerus* sectione I des Reichs-tags-theatri sub Friderico III cap. XXIII n. II p. 302 & seq.

aduersus Boiemos ducit.

4) Ceterum Conradus, quum Collegis Septemuiris postea deliberatum esset ac constitutum, prompte Cæsari portauit auxilia; quin ipse aduersus Boiemos iuit. Audiamus *Aeneam Siluium*, temporum illorum scriptorem, historiæ Bohemicæ cap. XLIV p.m. 66; *Venere* Moguntinus Archiepiscopus, *& Colonienſis*, *Comes Palatinus Rheni*, *Saxoniæ Duces*, *Marchio Brandenburgenſis*, *& plurimi ex Alemannia Pontifices*; *ceteri suos misere.*

Episcopum Wirzburg. & Marchionem Brandenburgensē componit.

5) Domum reuersus, sedandæ inter *Ioannem* Herbipolensem Episcopum & *Fridericum* Marchionem Brandenburgicum controuersiæ studuit. Quæ tametsi ex variis oborta erat caussis, ac ab aliquo iam tempore de vectigalibus, iure conducendi, feudis, tutela Iudæorum, ac iurisdictione in quibusdam locis criminali, ducebatur, qua tamen ingenii pollebat sollertia, rem dominica post Martini, vt transactionis habent tabulæ, ad pacem amicitiamque conuertit.

de habitu cleri constitutionē edit.

6) Per eosdem alioqui dies perceperat, ministros ecclesiæ Diepurgensis, corrupti sæculi vitio modestiæ fines transgressos tegumentis capitum vti, Clericos prorsus non decentibus. Anno igitur postero, qui MCCCCXXII reparatæ salutis fuit, edito voluit edicto, vt *Pastor & Plebanus mitras siue almucia de asperiolis*; *Altaristæ* vero *& Beneficiati temporibus diuinorum mitras de pellibus agninis nigris* gestent. Cum doceat, quo studio labefactatas praui moris licentia Cleri partes restituerit, dedi id in codice Diplomatico. Signatum autem est Eltvillæ, dominica, cui a *lætitia* appellatio.

Argentoratensibus bis pacem conciliat.

7) Argentoratensibus dein bis conciliauit pacem. Primum cum *VVilhelmo* de *Dieſt*, vrbis Episcopo, quocum de Vsburgeris, vt vocabantur, tum contendebant. *VVenckerus* de Pfalburgeris & Vsburgeris p. 102. Dein cum Nobilibus, qui Argentorato demigrarant, & se *die vereinigte Ritterschaft aus Straſsburg* appellabant. *Idem* de Vsburgeris p. 52 & 56. Vtramque vero post ferias procurauit Paschales: hanc, die Georgii; illam, Mercurii post dominicam, quæ recepto loquendi vsu vocatur *Quaſimodogeniti.*

Spiram cum aliis obsidet.

8) His vero cum occupatus esset rebus, Spirenses sententia, quam ante tulerat, sese grauatos querebantur, nec ea amplius stare volebant. Quod cum non posset non ægre ferre, & inimicitias ciuitati denuntiauit per litteras, Herbeshemii ipso D. Albani die scriptas, & Rabano, armis rem acturo, suppetias tulit; quin, cum aliis ad Rhenum Electoribus ipse Spiram obsedit, vt non auctor heic solum tradit, sed *Lehmannus* etiam, in chronico Moguntino haberi, l. d. cap. LXXXVI p. 814 testatur.

conſtituitur Vicarius Imperatoru.

9) His, aliisque pro ſalute tranquillitateque publica curis atque laboribus tantam apud Cæſarem Sigiſmundum virtutis collegit famam, vt is, dum quæreret, quem bellis diſtentus externis ad Imperatorii muneris procurationem adſumeret, neminem iudicaret magis idoneum, quam Conradum. Nec mora. Adſciſcebat ſibi eum ad decem annos in Imperii adminiſtratione Vicarium. Conradus, vt oſtenderet, quanti hanc Cæſaris erga ſe faceret voluntatem, maximeque honorificum iudicium, litteris Norimbergæ hoc anno Veneris poſt diem Bartholomæo feſtum exaratis ſancte promiſit *(bey Furſtlichen truvven, eren, vnd eyde)* ſe partibus iſtis omni ſtudio diligentiaque, pro eo ac Cæſar in tabulis ſuis mandaſſet, functurum (*getruvvelich, rethlich, vnd erſamlich, vnd nach innehalt der Kônigl. Maieſt. briefe*)

Landgrauiis Thuringiæ feuda conceſſit.

10) Feria vero poſt illum quinta in ædibus Sigiſmundi Stromeri, quarum inſigne roſa erat, *Othone* Archiepiſcopo Treuirenſi, *Ioanne* Epiſcopo Herbipolenſi, *Adolfo* Comite Naſſouio, *Michaele* Comite Wertheimenſi, *VVilhelmo* Præpoſito Moguntinenſi, *Conrado* Domino Bickenbaci, aliisque quamplurimis præſentibus, *Friderico* ſeniori & *VVilhelmo*, fratribus, nec non *Friderico* iuniori (cuius vices *Fridericus Beichlingenſis* obibat) Landgrauiis Thuringiæ, ſuam fidem ſacramenti religione profeſſis, Sedis feuda fiduciario iure rituque conceſſit.

de Placentini reformatione.

11) De cetero, cum ipſe virtutem, fidemque Imperii præſtaret rebus, *Branda* Cardinalis *Placentinus*, dum diœceſin interuiſebat Moguntinam, in diſciplinæ incubuit emendationem. Tetigit id ſupra auctor *Serarius* *. Factum autem eſſe anno hoc MCCCCXXII docet *Branda* ipſe. Ne dubites, afferam formulæ, quam tum præſcripſit, initium ac finem. Illud ſic habet; Branda *miſeratione diuina tit. S. Clementis SS. R. E. Cardinalis*, Placentinus *vulgariter nuncupatus, in regno Boemiæ, ac Miſnenſi & Morauiæ Marchionatibus Apoſtolicæ Sedis Legatus, nec non metropolitanarum, cathedralium, aliarumque eccleſiarum, monaſteriorum, ac piorum locorum regularium & religioſorum, quarumcunque partium Alemanniæ, Reformator generalis, per eandem Apoſtolicam Sedem deputatus, Reuerendiſſimo in Chriſto Patri & Domino, Domino* Conrado *Archiepiſcopo Moguntino —— Prælatis, Canonicis & ceteris Clericis —— Mogunt. Salutem & huiuſmodi noſtras viſitationes benigne ſuſcipere.* Finis vero ita; *Dat. Moguntiæ MCCCCXXII, Indictione XV, XXVI Nouembr.*

* § 3

caſtra Calſmund nec non Pfedersheim acquirit.

12) Conſtituerat autem ei Sigiſmundus Cæſar anno ſuperiori decem florenorum millia ſalarii loco. Quæ cum explicare haud poſſet, pignore ei cauendum duxit. Comodum autem tum Conradus æs, pro quibus caſtra Imperii *Calsmund* & *Pfedersheim* Falckenſteiniis olim oppoſita erant, heredibus illorum, ad quos peruenerant, *Annæ* ſcilicet Solmenſi, Comiti Saynenſi viduæ, & *Diethero* Iſenburgio, Domino Büdingæ, exſoluerat. Sigiſmundus igitur ei tum pro æris vtrique numerati, tum ſalarii decreti ſumma, pignoris titulo, vna cum omnibus bonis contributis, ac iuribus ea conceſſit tamdiu poſſidenda, donec redimerentur. Teſtimonio ſunt litteræ, quas hac de re anno, qui nunc ſequitur, MCCCCXXIII Caſſouiæ dedit, & Mercurii ante Philippi & Iacobi Apoſtolorum memoriam ſignari iuſſit. Edit. I p. 874

Imperii adminiſtratione ſe abdicat.

13) Sedenim mox paullo Imperii adminiſtratione deceſſit. Ludouicus enim, Palatinus Rheni, obnuntiationibus interpoſitis, ſibi Cæſare extra Germaniæ fines agente ius regni adminiſtrandi competere contendebat. Maluit igitur procuratione illa Conradus ſe abdicare, quam cum alterius inuidia vel offenſione amplius fungi. Factum id Bopardiæ, die menſis Maii vndecimo. Tum enim tabulis editis teſtatus eſt, iſta ſe abiiſſe prouincia, nec poteſtate ſibi a Sigiſmundo collata vlterius vſurum. Dedit eas *Thulemarius* in Octouiratu cap. XXIX § XXIV p. 564, & nos ex eo in codice Diplomatico.

Epiſcopum Spirenſem pacificat cũ Hunoldſteinio.

14) Poſt hæc liti, quæ *Nicolao*, Aduocato Hunoldſteinenſi, cum *Rabano*, Nemetum Antiſtite, intercedebat, finem ſtatuit. Erat ea de chirothecis æneis, aliisque id genus ſquamis (*Blechharnaſche*) nec non quatuor equis, quos ſeruis Hunoldſteinii, quum nupero bello iiscum Spiram ad herum tenderent, vi abſtraxerant Rabani milites. Leuiculis ſane de rebus; quæ tamen, cum ſua præter modum repeteret Nicolaus, in diſcordiam haud leuem eos egerant. Quam cum ipſi, contentionis tandem pertæſi, exſtinctam cuperent, rem ad Conradi deferebant arbitrium, iudiciumque; qui minime cunctatus, pacem inter eos, vt dictum, compoſuit. Conciliauit autem eam Vormatiæ, *feria ſexta poſt octauas corporis Chriſti*; hanc enim diem nobis diſerte ſignat transactionis tum factæ inſtrumentum.

de Notariis conſtitutionem edit.

15) Is vero inter hæc Moguntiæ inualuerat abuſus, vt Tabelliones Sedis (*Notarios publicos* vulgo vocant) *proceſſus & receſſus, litterasque alias iudiciales, nec non regiſtra & acta iudicialia* hominibus indoctis, rudibus, inexercitatis tum ſcribenda, tum deſcribenda committerent. Quod cum haud paucis hactenus fraudi fuiſſet ac noxæ; variis præterea in iudicio eccleſiaſtico incommodis ac litibus dediſſet occaſionem; ipſe prauo huic mori obuiam eundum ratus, edicto feria tertia poſt decollati Ioannis Baptiſtæ memoriam publice propoſito, conſtituit, vt quisque Tabellionum id genus litteras, diſceptationes, inſtrumenta in poſterum ipſe ſcriberet, expediretque; nec, ſi forte impediretur, aliis, quam per Iudices Sedis probatis & admiſſis, ſcribenda vel deſcribenda daret. Simul vero diſerte voluit, præcepitque, vt Notarii numero conſtituerentur ſufficienti; Procuratores vero debitum ordinem, temporumque obſeruarent interualla, nec in ſalario exigendo quenquam indebite grauarent, vt in codice Diplomatico pluribus legere licet.

Synodum celebrat.

16) Quod alioquin anno hoc ſynodum coegerit prouincialem, auctor ſupra iam notauit;

Edit. I p. 874

uit; qui etiam videri poteſt lib. I cap. XXXIII p. 105, ex eoque *Schmidius* in diſſertatione de conciliis Moguntinis n. XXXIV.

fœdus icit cum Friderico Bellicoſo.

17) Sub finem illius *Friderici* ſenioris, Landgrauii Thuringiæ & Marchionis Miſniæ (quem ab animi virtute, armorumque ſtudiis *Bellicoſi* vulgo appellabant cognomento) id dedit meritis, vt eocum Meinungæ magna fide iceret fœdus. Ad id vero feriendum ipſe tum vſus fuit *Ioanne* Epiſcopo Herbipolenſi, *VVilhelmo* de *Naſſau*, Præpoſito Moguntino, *Ioanne* de *Rodenſtein*, Canonico Moguntinenſi, *Reinharto* Domino *de* Hanau, & *Conrado* Domino *de* Bickenbach; Fridericus vero *Anarco* de *VValdenberg*, Domino *in* Walckenſtein, *Apelio* de *Vizthum*, ſtirpe equeſtri Milite, *Ioanne* von *Bach*, eccleſiæ Miſnenſis Præpoſito, & *Kerſtano* de *VVizleben*. Pactionis tabulæ ſignatæ fuerunt feria quinta ante Andreæ.

ne priuilegio quodam laederetur, Papa cauet.

18) Non longe poſt *Martinus V Friderico* iuniori, Landgrauio Thuringiæ, eiusq; coniugi, *Annæ*, Comitibus Swarzburgicis ortæ, ſingulare indulgebat diploma. Eo namq; edicebat, ne quis illos ſacrorum interdicto ſubderet, vel in terris eorum ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ mandato diuinorum officiorum indiceret vacationem. Cum vero plura eorum oppida, locaque diœceſi contributa eſſent Moguntinenſi, ne Conradus queri poſſet, lædi ſuæ ius eccleſiæ ac aperte conuelli, Pontifex id, quod ad loca diœceſi dictæ ſubiecta, nullius roboris & momenti eſſe voluit. Datum eſt anno ſequenti MCCCCXXIV ineunte, vt codicem Diplomaticum inſpicienti patebit.

Die Churf. Verein cum Electoribus ceteris facit.

19) Per eosdem alioqui dies Conradus cum ceteris Septemuiris coiuit Bingæ. Recipiendus enim erat in collegium Electorale *Fridericus*, quem modo dixi, *Bellicoſus*; quippe cui Cæſar Sigiſmundus anno ſuperiori Saxoniæ Ducatum contulerat, vna cum dignitate Septemuirali. Quod cum fiebat, viſum, haud parum ad Imperii tranquillitatem conducturum, ſi animis inter ſe probe conſociati eſſent ipſi. Quare de mutuo actum fœdere; quod & omnibus probe perpenſis tandem die, qui D. Antonio Confeſſori ſacer eſt, ſollemniter ibidem percuſſum. Formulam illius, vulgo *Churfurſtliche Verein* dictam, ſi cupis, dabit *Müllerus* l. d. n. I p. 299 & ſeq.

Friderico Saxoni honorem Septemuiralem firmat.

20) Fœdere icto, Conradus Friderico honores collatos pro parte ſua, vt tum moris erat, honeſtiſſimo teſtimonio, Martis poſt dictam Antonii feriam dato, propenſiſſima probauit voluntate.

Nil prohibet, quin ipſas, quas hac de re tum dedit, litteras huc afferam. *Wir* Conrad —— *bekennen offemlich mit dieſem brief, als der Allerdurchluchtigſte Furſte, vnſer gnediger Here der Romiſch Konig, dem Hochgebornen Furſten Hern* Friderich, *Landgraven zu Doringen vnd Marckgraven zu Myſſen —— vnſrem lieben Oheimen, das Herzogthum zu Sachſſen mit der Kore vnd Marſchalck-ampt gegeben vnd geliehen hait, daz wir ihn als ein Kurfurſte mit wiſſen vnd willen vnſer Mitkurfurſten vffgenommen vnd entpfangen han, doch vnſchedlich ſolicher brieff, als er vns vnd vnſern Mitkurfurſten hait gegeben. Des zu orkund ——*

gegeben zu Bingen am Dienſtag nach S. Anthonii tag des Bichtigers, 1424.

inter clerum Vormatienſem & ciues concordiam conciliat,

21) Diebus ſequentibus recruduerat Vormatienſes inter ac Clerum ciuitatis bellum. Quod vt extingueretur, antequam ad diœceſis iuxta vrbisque maiorem gliſceret perniciem, ipſe non minus, quam Ludouicus Rheni Palatinus, curæ ſibi habuit. Nec incaſſum. Qua enim vterque in conciliandis diſſidentium animis ſollertia erat atque auctoritate, Benshemii feria quarta poſt diem aſſumtæ B. Virgini ſacratum res eo deducta, vt in concordiam redirent. Notauit id *Helvvichius* in prodromo annalium Vormatienſium, eoque antiquior *Monachus Kirſchgartenſis* cap. LVIII p. 153.

inter Comites item Wertheimenſes & Eppſteinios.

22) Proximo, qui MCCCCXXV æræ vulgaris fuit, id dedit operam, vt diſceptationi, quæ Comitibus Wertheimenſibus, *Ioanni* & *Michaeli*, cum Eppenſteiniis, *Godefrido* & *Eberhardo* intercedebat, modum imponeret. Quamuis enim materies, quæ rixæ occaſionem dederat, haud adeo ardua erat (de iure patronatus eccleſiæ Brambacenſis inter ſe diſſidebant) nihilo tamen minus diutina iam diſtracti erant ſimultate. Succeſſit res ſimiliter ex voto. Ea namque conuenienti modo ſublata, die poſt memoriam Pauli ad Chriſtum conuerſi tertio concordiam inter eos conciliatam litteris publiçe editis ſtabiliuit, firmauitque.

aduerſus Haſſum auxiliatores ſibi adſciſcit

23) Hæc inter autem ipſe diſſentire cœperat cum Ludouico, Haſſiæ Landgrauio. Aduerſus quem, cum res ad vim ſpectare videbatur ac arma, amicos ſibi comparandos ſtatuebat ac belli ſocios. Cum *VVilhelmo* igitur Bergenſi, Comite Ravenſpergenſi, fœdus iniit, eiusque operam ſibi contra Haſſum pactus eſt. Poſuit autem *VVilhelmo* tria florenorum millia, militiæ præmium; hac tamen lege, donec profligatum eſſet bellum, vt quotannis quater vel quinques, centum inſtructus equitibus, *Glenen* vulgo dictis, excurſionem in agrum faceret Haſſiacum. Teſtis loco hic nobis ſunt tabulæ, Diepurgi die Mercurii dominicam *Oculi* ſubſecuto datæ. Ipſe viciſſim ſuam ei opem contra Comites Hoienſes, *Ericum* & *Ioannem*, promiſit, & vtrique per litteras Hôchſtl Veneris poſt dictam modo dominicam inimicitias teſtatus eſt ac hoſtilia.

24) Quin, vt hoc maioribus copiis, viribuſque ſe Ludouico obiiceret, quamplures e familiis tum maxime illuſtribus, potentiaque validis eodem tempore, conſtitutis ſtipendiis, velut in rem, periculumque commune ſibi adiunxit. In his fuere *Ioannes*, Comes Naſſouio-Dillenburgicus, *Henricus*, Comes Naſſouiæ, Præpoſitus Monaſterienſis, *Henricus* de *Dryburg*, *Hartmannus Iude*, *Henricus* von *Enſe*, *Gerhardus Spiegel*, *Ioannes* de *Haxthauſen*, *Ioannes* & *Burcardus* de *Aſſeburg*, *Sifridus* de *Biedenfeld*, *Sitticus*, *Burcardus*, *Godeſchalcus*, *Engelhartus*, *Eberhardus*, & *VVigandus* de *Buchenavv*, *Erhardus* de *VVyers*, *Henricus* de *Erenberg*, *VVolfgangus* de *Bommersheim*, *Nicolaus* de *VVolfskeel*, *Georgius Geyling*, *VVilhelmus*

Forſtmeiſter, *Henricus* de *Ortenberg*, *Henricus* de *Remchingen*, *Gerhardus* de *Hohenberg*; quorum ſane nomina poſteritatis ad memoriam huc afferre, vtile nobis viſum.

reconciliantur Haſſo.

25) Interim ne res ad manus veniret, & in pernicioſum excederet bellum, curæ ſibi duxere *Ludouicus*, Comes Palatinus Rheni, & *Fridericus*, Marchio Brandenburgenſis. Partes enim Moguntiam, ad diem Veneris poſt D. Georgii memoriam, vocabant, viſuri, an rem ad tranquillum pacis vſum reuocare liceret. Vbi vero tum pacificatio perpetrari nequiit, aliam iſti conciliandæ diem ſtatuebant, quæ fuit dominica *Exaudi*, quo Meinungam conueniant. Tandem compromiſſum in *Ioannem* Herbipolenſem, & *Fridericum*, Marchionem Brandenburgicum. Qui cum diſſidia coorta ſingulari minuiſſent ſtudio, pacem inter eos compoſuere, pridie feſti, quo ſacratiſſimam Triadem veneratur ac adorat eccleſia; & iterum ſublatis aliarum litium cauſſis, Kitzingæ, dominica poſt annuam B. Kiliani martyris celebritatem.

emit Steinheimium eiſ. locu contribuis.

26) Quamuis autem bellicis tum implicitus erat negotiis ac occupationibus, haudquaquam tamen intermiſit, rebus Archiepiſcopatus amplificandis, ſtudioſiusque augendis manum admouere. Sub hæc enim die B. Georgio martyri ſacra a *Godefrido* Domino *de* Eppenſtein (fratre eius *Eberhardo*, filiisque *Adolfo* & *Godefrido*, conſentientibus) oppidum *Steinheim*, vna cum villis contributis, ſibi ſucceſſoribusque pretio XXXVIII millium florenorum redemit. Quam rem dum auctor hic loci, nec non *Vogelius* relat. compendiar. de cœnobio Laurishamenſi p. 169 in annum MCCCCXXIV præcedentem reiiciunt, errant. Ex litteris enim, quibus emptio hæc conſignata, ad oculum patet, hoc demum anno eſſe factam. Similiter corrigendi veniunt, qui pretium ad XL M florenorum extendunt; quos inter *manuſcr.* qui *FF. Eremitis* Conuentus Moguntini eſt f. 124 a) Teſtes contractui interfuere, ne quid præteream, *Eberhardus Lôvv*, Burggrauius Fridbergenſis, *Ioannes* de *Stockheim*, *Reinhardus* de *Svvalbach*, *Georgius Brendel* ab *Homburg*, *Henne* von *Erlebach*, dictus *von VVilbach*. Dynaſtiæ vero Satrapæ titulo primum impoſitus *Ioannes* de *Bellersheim*.

cum Argentoratenſi fœdus pangit.

27) Sedatis ad tempus belli, quod inſtabat, motibus, cum *VVilhelmo* de *Dieſt*, Antiſtite Argentoratenſi, ad dies vitæ ſocietatis & amicitiæ iniit fœdus, tabulis dominica Bartholomæi Apoſtoli ſollemnitatem ſecuta confectis pollicitus, ſe ei tum conſilio, tum ope auxilioque aduerſus quoſuis, Pontifice, Cæſare, Sedisque Moguntinæ Beneficiariis ac Officialibus duntaxat exceptis, præſto futurum.

Iudæos in gratiam recipit.

28) Iudæis alioqui Moguntiæ, Vormatiæ, Spiræ, Francofurti, Oppenhemii, immo omnibus intra quintum circum oppida hæc milliare habitantibus, ceterisque ditioni Moguntinæ ſubiectis, neſcio quibus de cauſſis pergrauiter ſuccenſens, *Ioanni*, Epiſcopo Cerinenſi, ſuo in pontificalibus Vicario, negotium dederat, eos euocandi, atque in eos conſidendi. Sedenim impenſis illorum precibus, queis veniam expoſcebant, rebuſque aliis, quibus ei reſpondebant ad animum, mitigatus & lenitus, anno ſequenti MCCCCXXVI iis non modo culpæ gratiam fecit, verum etiam ius, quod ſibi peperiſſent, permiſſurum, tabulis die Martis poſt purificatæ Deiparæ ferias datis appromiſit. Edit. 1 p. 874

Leuchtenbergenſem contra Bohemos conducit.

29) Opem vero ſuam quod Cæſari contra Bohemos ſpopondiſſet, *Leopoldi* Landgrauii Leuchtenbergenſis conduxit operam. Conditiones erant hæ; Leopoldus quinque & viginti equites, *Glenen* ſiue *Gleven* vulgo appellatos, probe expeditos omnes, ad quotidianas aduerſus illos excurſiones faciendas aleret, quousque Conrado viſum; Conradus vnicuique illorum in ſingulos menſes ſtipendii loco quatuor & viginti florenos numeraret Rhenenſes. Illorum opera ſi amplius vti nollet, id octiduo ante Leopoldo ſignificaret. Damnum, quod facerent, reſarciret Conradus. Idem vero captiuos, ſi quos ex hoſte duceret Leopoldus, haberet, eosque ſolus. Pecuniam item pro redimendis incendiis Bohemis imperatam pro rata. Pabula vero ex agro hoſtili acta (*Kuhe-vnd Eſel-ſpiſe*) pro portione ſua Landgrauius. Enimuero plenius omnia diſces e tabulis, quibus pactio hæc feria ſexta ante Matthæi Euangeliſtæ ſollemnitatem comprehenſa, in codice Diplomatico.

Fuldæ Abbatem & Adiutorem ad pacem reuocat.

30) Inde ſibi id penſi habuit, vt Fuldæ *Ioannem* Abbatem, & mitræ deſtinatum Adiutorem *Hermannum* redigeret in concordiam. Rebus enim ſuis conſultum exiſtimabat, ſi poſitis odiis ingenio inter ſe haud eſſent diſcordabili. Stimulis igitur vtrique graui ſeueraque ad pacis ſtudium exhortatione additis, adhibitisque in conſilium Miniſtrorum ſuorum præcipuis, tandem perfecit, vt inimicitias, ſaltim in ſpeciem, ponerent. Litteris id conſignatum Fuldæ, feria, qua OO. SS. peragebatur celebritas.

ad bellum cum Haſſo ſe comparat.

31) Videbat autem, in priſtinas belli cum Haſſo curas, turbasque ſe coniectum iri. Cauſſam fuiſſe tradit *MS.* quem *FF. Eremitis* conuentus Moguntini eſſe, ſæpius iam dixi, quod Ludouicus Sedi Moguntinæ reditus quosdam, iuraque alia conuelleret. Auctor vero § VII, quod Ludouicus ſe nimium rebus ingereret Fuldenſibus; apertius alii, quod Ludouicus cauſſam *Ioannis* Abbatis tuendam ſuſcepiſſet, quum contra Conradus Coadiutoris *Hermanni* de *Buchenau* partes ſequeretur; hos inter *Fr. Cornelius* in Breuiario Fuldenſi p. 442, & *Brovverus* antiquitatum Fuldenſium lib. IV p. 327. Quare ſibi non modo ſubſidia bello gerendo neceſſaria comparabat, verum etiam Principum, virorumque armis illuſtrium operam. Speciatim ſocietatis, mutuique auxilii fœdus cum *Theoderico*, Colonienſi Archiepiſcopo, feſto D. Eliſabethæ honori die, contrahebat. Præter illum vero in adiutorium aduocabat, ſibique adſciſcebat *Dietherum* de *Iſenburg*, *Ioannem*, Comitem *de* Wertheim, *Adolfum*, Comitem *de* Wilnaw *, *Dietericum* de *Manderſcheid*, pluresque alios, nobilitatis laude præſtantes: quorum nomina promere

Edit. I p. 874

promere atque communicare cum iis visum, quibus familiarum nobilium, veterum maxime, notitia cordi est. Fuere nimirum ii *Ioannes* & *VVezilo* de *Landsberg*, *Gerhardus* de *Plettenberg*, dictus *von der Mühlen*, *Fridericus* de *Horde*, *Simon Schliz*, dictus *Görtz*, *Albertus Torck*, *Godefridus* de *Meschede*, *Bertholdus* de *Hertingshausen*, *Diezo*, *Eberhardus*, & *Engelhardus* de *Thüngen*, *Dietericus* ab *Hatstein*, *Georgius* & *Conradus* de *Bebinburg*, *VValtherus* de *Cronberg*, *Crato Zobel*, *Ioannes* de *Blumenau*, *Eberhardus Rüd* de *Collenberg*, *Ioannes Voit* de *Salzburg*, *Conradus* de *Hartheim*, *Gilbertus Schutz* de *Holzhausen*, *Henricus* de *Diedesheim*, *Nicolaus Grumbach*, *Fridericus* de *Neumagen*, *Georgius Fleming*, *Lupoldus* de *Bebinburg*, *Ioannes Fuchs* de *VValsperg*, *Ioannes* de *Levvenstein* &c. quibus addas *Thomam*, Comitem *de* Rieneck, a quo sibi anno sequenti viginti minimum equites, *Glenen* dictos, stipulatus est.

* *Adolfus* hic *maritus fuit* Margaretæ, *gente* Schliziorum *dictorum* von Görz *ortæ*, *quæ antea in matrimonio* Rorici *de* Eisenbach *vixerat*; *frater* Henrici, *Comitis de Wilnauv. Quæ hic annotare visum, cum non longe post Wilnauiorum familia defecerit, vetusta cetero quin, multisque clara imaginibus, quæ sedem habuit in finibus Hassiæ.*

caussa Boicæ discutiendæ a Cæsare præficitur.

32) His vero, aliisque cum distineretur, Cæsar mandabat, vt controuersiam Boicæ Ducum, de regionibus in Boica, vt appellant, secunda, ab Ioannis Bauari, Antistitis olim Leodiensis, morte inter superstites Boicæ Duces diuidendis, cognosceret. Prodit id nobis *Adlzreitterus* annalium Boicorum parte II lib. VII § LXVII p. 155, quem hic audire operæ erit pretium. *Cæsar*, inquit, *bello & reipublicæ procuratione occupatus, caussam remisit ad Moguntinum Electorem, qui conuocato Septemuirum comitio non modo Boicos Principes, sed etiam Cæsaris mandatarios, & Albertum Archiducem Austrium, filium ac heredem Alberti IV & Ioannæ, Alberti senioris Boio-Hollandi filiæ, qui etiam litem ad se quoque pertinere credebant, disceptantes audiret. Lecti præterea viginti quinque ex tribus Boicæ Ordinibus sequestres, qui litem inspectam componerent.*

fœdus init cum Wirzburgensi.

33) Ceterum in spem veniens, sibi quam maxime profuturum, si præter illos, quos modo memoraui, Episcopum etiam Herbipolensem, acri Principem ingenio, validisque viribus, in consilii adsumeret societatem ac armorum, anno MCCCCXXVII subsecuto fœdus eo cum pepigit, Iouis dominicam *Iudica* præcedente.

Ordines Imperii de adducendis contra Hussitas copiis admonet.

34) Sequentibus diebus Francofurti agebatur de bello coniunctis denuo viribus Hussitis inferendo. Et cum decretum esset, quatuor exercitibus quatuor in finibus inuadendos esse, Principes Electores ceteros Imperii Ordines litteris dominica *Quasimodogeniti* datis serio grauiterque commonuere, vt copiis quisque suis ad Beatorum Apostolorum Petri & Pauli diem Norimbergæ vel in vicinis campis præsto sint. Conradum istis primo subscripsisse loco ex apographo, quod in codice Diplomatico dedi, cognoscere est.

de Procuratoribus mandatum edit.

35) Quam alioquin anno MCCCCXXIII de *Tabellionibus* ediderit constitutionem, ex supra dictis patet. Quum vero inter hæc comperisset, & *Procuratorum* numerum vltra placitum excreuisse; adhæc illorum plures esse imperitos, plures mercedula inductos ministros se præbere iniustitiæ, mandato circa diem B. Margaretæ virginis promulgato singulos ac omnes ab officio remoueri, e remotis vero, quos Iudices Sedis legales ac idoneos cognouerint, rursus admitti, ceterorum autem in locum alios bonæ famæ, aptos, integros, & ad munus hoc fungendum probe affectos cooptari iussit. Dedi id alias inter tabulas in dicto codice.

Hasso belli indicit.

36) Non ita multo post, rebus amicisque ad bellum comparatis, Hasso litteris fecialibus, Lunæ ante diem Mariæ Magdalenæ honori dicatum Steinheimii scriptis, inimicitias indixit; *Theoderico* Colonienſi, quem sibi obnoxium fecerat, fœderis ex lege itidem ei bellum denuntiante. Conradi diffidatitiæ ita habebant: *VVisset Herr Ludvvig Landgrav zu Hessen, dass vvir Conrad, von Gotes gnaden des Heiligen Stals zu Mentz Erzbischoff, des H. Römisch. Richs in dutschen landen Erzcanzler, uvver land vnd lute vnd alles, das vvir vff sie gefehden mogen, fiend vvollen sin vmb soliches vnrechten vvillen, das ir vnd die uvvere lange zyt vns, vnserm Stift, vnd den vnsrn getan haint, vnd vvollen des gen vch vnd die uvvern vnsre ere bevvart han mit diessem vnserm offin brieffe, versiegelt mit vnserm vffgedruckten ingesigel. Geben zu Steinheim am Montag vor S. Mar. Magdalenen tag, anno Domini MCCCCXXVII.*

copiarum numero vincitur.

37) Tum vero haud veritus est, *magno* prodire ad cingendam obsidione *Fuldam: sed auxiliis vndique contractis, vbi ventum in campos, qui indigenis* Münsterfeldt, *Landgrauii præsertim virtute retro pulsus, magno cum dedecore salutem expedire fuga coactus est.* Ita *Brouverus* l. d. Insperſis quibusdam aliis circumstantiis *Manuscr.* supra memoratus: *Da geschahe von ihnen eine ernstliche grosse schlacht, in vvelcher viel leute vmkamen. Doch so behielt der Landgraf den sieg — dann die Mainzischen in die flucht geschlagen vvurden, in der ihr ob die 600 gefangen, die sich hernach* (nicht) *ohne schaden vnd nachtheil des Erzbischofs mit geldt erledigen musten.* Haud absimiliter *Trithemius* chron. Hirsaug. ad an. MCCCCXXXIII p. 387; *Contra quem Archiepiscopus contractis hinc inde copiis processit ad proelium, & commisso diu ancipiti bello tandem Ludouicus obtinuit campum, multis ab vtraque parte cadentibus. Ex parte vero Archiepiscopi ducentos (alii dicunt sexcentos) Landgrauius abduxit captiuos, qui libertatem non sine incommodo Archiepiscopi & ecclesiæ Moguntinæ pecunia multa comparare coacti sunt.*

pacem cum eo facit.

38) Vires suas infractas sentiens Conradus, ad pacem quantocius cum Hassone faciendam inclinauit animum. Vt coalesceret, operam dedere *Theodoricus*, Colonienſium Præsul, *Ioannes*, Wirzburgensis Antistes, *Fridericus*, Marchio Brandenburgensis, nec non *VVilhelmus*, Dux Brunsuicensis & Luneburgensis. Pacificationis, Francofurti die nascenti Deiparæ sacro perscriptæ, varia fuere capita: e quibus ea huc referre placet, quæ Conradum maxime spectant (nam & *Henrici* & *VValrami* Comitum Waldeccensium, ei fœderatorum, res ibidem ad pacis vsum reuocata) Primarium facile erat, vt positis odiis firmam cum Hasso iniret, coleretque amicitiam. Alterum ab hoc, vt Ludouicum ad castrorum ac oppidorum, Archiepiscopatui ab Abbate Fuldensi pignori ad triginta & octo florenorum millia oppositorum, alteram admitteret partem. Fuere ea *Fulda* & *Hunefeld* pro dimidio, *Lauterbach*, *Fischberg*, & *Bruckenau* pro toto, *Schildeck* pro dimidio, *Rockenstul* vero & *Geisa* pro altera parte. De quibus locis postea die D. Nicolai noua pactio in has conditiones facta; vt scilicet neuter animum intendat vel conetur, ea sibi soli vel emptione vel aliis modis adserere: dein id operam vterque det, ne quis, præter Abbatem & Conuentum, quibus ius reluendi competat, ea ære sibi comparet, aut acquirat.

bellumque redimit.

39) Reperiuntur tabellæ, vt vocant, cautionis, dicto natiuitatis B. M. V. die signatæ, quibus Conradus profitetur, Landgrauio se debere quatuor & quadraginta florenorum millia; affirmare simul & bona spondens fide, alteram pecuniæ huius partem se ei proxime festo Michaelis Archangeli, alteram anno sequenti, festo cathedræ Petri honore insigni, soluturum. Vix dubitem, quin ære hoc bellum tum redemerit. De pecunia interim Landgrauio cauebat obsidibus; qui fuere *Philippus* Comes Nassouio-Saræpontanus, *Ioannes* Comes *de* Ziegenhain & Nidda, *Philippus* Comes Catimelibocensis, *Michael* Comes Wertheimensis, *Bernhardus* & *Ioannes*, fratres, Comites Solmenses, *Thomas* Comes *de* Rieneck, *Dietherus* de *Isenburg* & *Büdingen*, *Godefridus* & *Eberhardus* de *Eppenstein*, fratres, *Gilbertus VVeis*, Miles, *Georgius Brendel*, *Franco* de *Cronberg*, iunior, *Damo* de *Prumheim*, *Henne* von *Erlebach*, dictus *VVilbach*, *VValtherus* von *Riffenberg*, *Ioannes Brendel*. Vt fidem liberaret, nomen postea partim Giessæ, partim Grünbergæ ad diem exacte dissoluit ac explicauit.

nec non in fœdus eo-cum coit.

40) Pace sic constituta, eodem statim die concordiæ, amicitiæque fœdus in XII annos inter se stipulati fuere, qui paullo ante armis decertarant, *Conradus* & *Ludouicus*; quibus accessere *Theodericus* Colonienſis, *Ioannes* Herbipolensis, *VVilhelmus* & *Henricus* Duces Brunsuicenses, nec non *Fridericus* Landgrauius Thuringiæ.

Hæc aliquanto fusius, temporumque rationibus curate signatis enarrare placuit. Videas enim esse, qui hic eas turbent; sigillatim *Trithemium* l. d. *Latomum* in catalogo, *Dilichium* chron. Hass. parte II p. 234 & seq. quorum hic bellum hoc perperam in annum MCCCCXXXIV profert; illi vero in annum MCCCC XXXIII. Edit. I p. 874

Saxoniæ Duces fœdere sibi iungit.

41) Ceterum eodem hoc anno Ducum Saxoniæ & Landgrauiorum Thuringiæ sibi despondit auxilia. Erat enim, cur metueret, Erfurtenses sibi forte, rebus tam creperis, consilium capturos. Rem *Gudenus* lib. II historiæ Erfurtensis § XXI p. 131 strictim iuxta atque eleganter exsequitur; quem adeo hic audire iuuabit. *Vrbis*, ait, *opes longa pace feliciter creuerunt, & cum iis potentia, eoque deuentum erat, vt & vires suas Erfordia resciret, & timeret Moguntia, nec illa cum veteri demissione obsequia, sed superbius præstaret. Auxit huic animum, illi timorem fœdus, quod cum Erico Brunsuicensium Duce ciuitas superioribus annis pepigerat. Dux quandocunque petenti quinquaginta cataphractos, vrbs vicissim in singulos annos trecentos aureos promisit, sique Ducem ipsum peteret, centum aurei insuper soluerentur. Electos Conradus defectionem metuens, fœdus cum Friderico Electore Saxoniæ, eiusque fratribus pacisscitur, illis contra quosuis hostes auxilia promittit, sibi vicissim contra Erfordiam, si Moguntinæ Sedis iussa detrectaret, stipulatur.*

Electores ite Rhenanos.

42) Subsecuto MCCCCXXVIII sapienti secum reputabat consilio, si cum vicinis ad Rhenum Electoribus pristinam renouando amicitiam, in vnum coalesceret consensum, id nempe maximo sibi reique publicæ futurum bono. Vix id explicarat, cum se pronos satis in rem ostenderent *Otho* Treuirensis, *Theodoricus* Colonienſis, & *Ludouicus*, Comes Palatinus Rheni. Hinc sine multa difficultate in eum deducta fuit locum, vt Coloniæ ad mutuam concordiam se fœdere obligarent. Conuentorum formula illic loci die, qui D. Dorotheæ festus agitur, missa fuit in litteras.

suos ad subsidia in bellum sacrum hortatur.

43) Ab his ad belli sacri curas transferebat animum. Nec enim dememinerat, Legati Pontificii cohortatione, monituque, Electores, Principes, Comites, Proceres alios, ac Milites in Conuentu vltimo Francofurti celebrato ad pium excitos armorum studium, Sigismundo in debellandis Boiemis appromisisse opem. Eam ad rem sua iam sponte currenti stimulum addiderant Legati, quem modo diximus, Pontificii * litteræ, superioti anno Francofurti VIII Id. Septembris datæ. Plenæ enim erant spiritus, & vnicuique, qui commeatu, pecuniaque bellum iuuaret, eximia ad offensas obliterandas pollicebantur beneficia. Quare suæ archidiœcesis Clerum, Præpositos, Decanos, Archidiaconos, Curiones, litteris Heppenhemii die mensis Februarii octauo & decimo scriptis, tum paterne tum grauiter exhortatus est, vt constituta subsidia sacro ærario quamprimum inferant; cetera pro felici rerum successu votis omnes, piisque ad Deum excubent precibus.

* Fuit is *Henricus* Vintonienſis, regia Anglorum stirpe natus, *titul. S. Eusebii sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Presbyter Cardinalis, de Anglia*

Edit. I p. 874

glia vulgariter nuncupatus, per vniuerſam Germaniam, Vngariæ, Bohemiæque regna, ac in cauſſa fidei per vniuerſum orbem Apoſtolicæ Sedis a latere Legatus.

tributum a ſuis exigit.

44) Vt autem ære alieno, quod bello nuper implicitus ſatis grande contraxerat, exiret, tam Clero diœceſis Moguntinæ, quam populo vniuerſo tributum imperauit. Clero quidem *collectam*, vt in litteris quinta poſt D. Viti diem feria datis, & codici Diplomatico inſertis eſt, *duorum maiorum ſubſidiorum, quod ad Capitula, Collegiatas eccleſias, & monaſteria; & ſex procurationes, quod ad dignitates, perſonatus, officia & cetera beneficia eccleſiaſtica*: Ciuitatibus vero, ceteroque populo triceſimam de bonis illorum ac poſſeſſionibus ſingulis ac omnibus.

Epiſcopum Wirzburg. cum Canonicis & ciuibus componit.

45) Aeſtate procedente Herbipoli, dum *Ioanni II* Epiſcopo ſuppetias ferebat, non de pace minus, quam de bello egit; quin multo tandem labore ipſum inter ex vna, ac ædis ſummæ Canonicos, ciuesque ex altera parte, formula die XIX Auguſti conſignata, coorta diſſidia reuocauit ad tranquillitatem.

Palatinum item cũ Comite Sponheimenſi.

46) Eadem ratione haud ita multo poſt *Ludouicum* Electorem Palatinum, & *Ioannem*, Comitum Sponheimenſium vltimum, occaſione indiuiſi in Comitatu Sponheimenſi citeriore imperii diſtractos, Othonis Ducis Mosbacenſis vſus adiutorio, Wormatiæ in priſtinam reduxit concordiam. Tabulis id perſcriptum publicis, die Veneris poſt feſtum Michaelis ibidem confectis.

Inimicitias exercet cum Cazẽelnbogio & Riffenbergio.

47) Ceterum anno præcipite non plane nil ſimultatis habebat cum *Philippo* de *Cazenelenbogen*, ſeniore, & *Henrico* de *Riffenberg*; quam cum armis proſequendam ſtatuiſſet, *Ioannem* de *Hoenberg*, nobili natum genere, nec artis militaris imperitum, in auxilium vocabat. Diſcas id ex litteris, quibus *Ioannes* fidem ei ſuam, quoad cum iſtis bellum eſſet, Veneris poſt Luciæ addixit.

Iudæos capit & emungit.

48) Anno ſequenti MCCCCXXIX Iudæos, qui in locis dominio Moguntino ſubiectis, Lonſteinii, Bingæ, Eltvillæ, Steinhemii, Aſchaffenburgi, Miltenbergæ, Amorbaci, Diepurgi, Benshemii in Strada montana, atque Heppenhemii, Biſchofshemii item Krauthemiique commorabantur, quæſtumque exercebant, cepit ac in vincula coniecit, bonis illorum, ſingulis quidem ac omnibus, obſignatis ac ſub placito ſuo detentis. Suſpicione aliqua motum id feciſſe, illorum litteræ, de quibus ſtatim, his produnt verbis: *Vm argvvone vnd vnvvillen, ſo derſelbe gein vns gemeinlich gevvonnen hatte.* Et rurſum; *Solchen argevvan vnd vnvvillen, ſo er vm ſache vvillen, die ihn dazu bevvegeten, gein vns gemeinlich vnd beſunderlich furgenommen vnd gevvonnen hatte.* Poſt tamen in gratiam eos recepit, ac in integrum, ſi aurum argentumque ſignatum exceperis, reſtituit. Quo facto omni de retenta pecunia, impenſis, damnisque factis actioni renuntiauere. Tabulas, quibus id profitentur, rogatu *Dauidis Biſchoff*, *Iſaaci* Aſchaffenburgenſis, & *Moiſis* Lorchenſis, ſigillis ſuis muniuere *Diethe-*

rus de *Iſenburg*, Dominus *in* Büdingen, *Franco* de *Cronberg*, ſenior, & *Henne* de *Spanheim*, dictus *Bacharach*. Datæ autem ſunt Eltvillæ die D. Viti memoriæ in faſtis ſacrata.

fœdus cum vicinis init.

49) Auctumno procedente ſe parabat ad iter Hungaricum. Poſonium enim Cæſar Imperii euocarat Ordines. Vt autem ſe abſente domi res hoc magis in tuto eſſent, cum *Ludouico* Electore Palatino, nec non *Vormatia* & *Spira* ciuitatibus ad mutuam concordiam & defenſionem, ſecuritatem inſuper cuiuis (præter maleficos capitis damnatos, & alterius partis hoſtes) præſtandam, frumentum item, aliaſque ſpecies annonarias æquo ſibi inuicem pretio diuendendas, ſe obligauit, vſu fœderis in quinque annos prorogato. Factum id Vormatiæ Lunæ poſt annuam D. Lucæ celebritatem.

Echtero rerum eccleſiaſticarum curam committit.

50) Dein *Petro Echter*, Decano Collegii maioris, viro magna virtutis opinione, & ſplendore generis claro, rerum eccleſiaſticarum adminiſtrationem ac curam peculiari diplomate Aſchaffenburgi die I Nouembris edito commiſit.

de Iudæorũ tributo Cæſari pendendo tranſigit.

51) Tum vero iter ingreſſus eſt, & cum iisdem fere diebus *Erckingerus* de *Seinsheim*, iuſſu Sigismundi Imperatoris, per Germaniæ & Italiæ regiones Imperio ſubiectas, Iudæis tributum imperaret, id ne a tribulibus ditionis Moguntinæ exigeret, ipſe impetrauit, priuilegiis Sedi ſuæ conceſſis docens, eiuſmodi collationes verpis, qui ſub dominio Moguntinio eſſent, haud poſſe imponi. Ceterum Sigiſmundi in gratiam quatuor florenorum milia Erckingero Ratisbonæ dominica poſt Martini promiſit, ac dein termino conſtituto exſoluit.

Poſonii comitiis interest.

52) Poſonium cum veniſſet, ac omni beneuolentia a Cæſare acceptus eſſet, non minus de Imperio tranquillando, quam bello Boiemis inferendo cum ceteris, qui præſentes erant, Imperii Ordinibus conſultauit. Actorum ſeriem ſummatim habes apud *VVenckerum* in præſidiis rerum Germanicarum n. LX p. 320 & ſeq. cui adde *Gundlingium* in hiſtoria de vita rebusque geſtis Friderici I Electoris Brandenburgici ſectione XIII § II p. 312 & ſeq.

Quam gratus Cæſari aduenerit, patet ex tabulis, queis *Sigiſmundus* Sedis Moguntinæ priuilegia D. Thomæ Apoſtoli die confirmauit. Ibi enim diſertis ille verbis: *Durch ſunderliche liebe willen, die wir zu dem vorgen.* Conrad *vnd ſinem Stifft han, vnd auch, daſs er vns izunt durch der heiligen Chriſtenheit ſachen vnd vnſert willen mit krancken lybe vnd groſſer mühe vnd arbeit vns beſucht, vnd damit getruluch vnd flifſiglich geraten hat* &c.

Argentoratenſis partes aduerſus ciuitatem amplectitur.

53) Iſta vero, qua hæc agebantur, tempeſtate Argentoratenſes cum Antiſtite ſuo, *VVilhelmo* de *Dieſt*, nouas exercebant inimicitias. Conradus igitur, fœderis eocum anno MCCCCXXV initi haud immemor, Wilhelmi partes tuendas ſuſcepit, ac ciuitati factus eſt hoſtis. Prius tamen, quam hoſtiliter in fines eorum excurreret, hoſtilia eiſdem, vt tum moris erat, denuntiauit. Diem nobis

nobis litteræ signant feciales, quippe quarum clausula est; *Geben zu Castel am S. Thomas tag Cantuariensis, anno Domini MCCCCXXIX.*

Suos aduersus Hussitas excitat.

54) Hussitis vero tum temporis iram & furorem populationibus, incendiis, aliisque maleficiorum generibus in terras Imperii quantum maxime poterant expromentibus, ipse anno MCCCCXXX sequenti redux factus, vniuersum ditionis suæ populum ad arma vocauit, ac ad quæuis, pro patria aduersus ipsos defendenda, animo corporeque obeunda paratum esse iussit. Ceterum, vt quisque hoc magis impigrum se præberet, secunda ante D. Valentini sollemnitatem feria edixit, ne quis à die isto vsque ad octauum post D. Martini memoriam census vel debiti cuiusdam caussa quempiam ad Sedis Moguntinæ Iudices vocet ac rapiat. Mandati apographum inuenies in codice Diplomatico.

Feria constitutionibus edita.

Alio Steinhemii die Mercurii post dominicam *Iudica* dato his interdixit, ne intra integrum anni spatium quendam Laicorum census vel rei cuiusdam ciuilis caussa citent ac euocent. Vt tamen permiserit, si cuipiam in foro ciuili denegetur iustitia, & lis ad ipsos deferatur, vt tum petenti ius dicant; item, vt caussas beneficia ecclesiastica *(Gotteslehen)* matrimonia, vsuras illicitas, decimas, periuria, & id genus alias spectantes, nec non quæ iam in iudicio ecclesiastico penderent, discutiant & decidant &c. Habes id similiter l. d.

Horneccii bellum denuntiat.

55) His aliisque stimulos suis admouentem, ad arma iniuriis quampluribus vocabant *Horneccii*, nobiles ab *Hornberg* vulgo cognominati. Quin enim illas vltum iret, non poterat iusta correptus ira. *Simoni* igitur *Horneck* de *Hornberg*, Veneris post diem D. Iacobi dedicatum memoriæ, bellum indixit *(vm soliches vnrechts vvillen, als din Vater, vnd din Brudere an vns vnd die vnsere begangen vnd getan hant) Conrado* itidem de *Horneck* iisdem eodem die verbis.

Spirensibus subsidio venit.

56) Quibus cum immineret, Spirenses hostiliter inuaserat *VVinricus* de *Fischenich*, equestri in Rhenanis stirpe ortus. Hi ad auxilium ferendum aduocabant socios, quos inter etiam Conradus. Qui, qua erga fœderatos erat fide, quod ciuitati ex pacto debebat, simul atque commonitus fuerat, & promisit, & missis circa D. Dionysii celebritatem copiis haud dubitanter tulit. *Lehmannus* l. d. cap. LXXXIX p. 821.

Norimbergæ de rebus Imperii agit.

57) Posterioribus anni mensibus, Octobri, Nouembri & Decembri Norimbergæ luculenter rursus rebus Imperii fidem præstitit (mense Maio enim similiter ibidem egerat) Hæc inter autem feria Andreæ sacra *Pflugio (Heyntschig Pflug zu der Schvvarzenburg) Othonis* Comitis Palatini ad Rhenum, vulgo Mosbacensis dicti, tum inimico & hosti, litteris ibidem signatis testatus inimicitias est.

Cæsari ibidem adest.

58) Cæsari vero anno subsequenti MCCCCXXXI illuc venienti cum maxime omni præsto fuit reuerentia, atque ad id enixe nauauit operam, vt in Thaboritas, Orebitas, Orphanos, Hussi progeniem, communi omnique Germaniæ Principum ac Ordinum nomine decerneretur expeditio. Quæ quidem vt hoc auspicatius æque ac expeditius susciperetur, Cæsar Mercurii post D. Gregorii sollemne pacem per Imperium communem, publicamque in tres annos graui sanxit edicto, ne dum foris aduersus Boiemos res ageretur, domi ea infestis misceretur tumultibus. Tum vero, clausis iustitio per totum expeditionis huius spatium foris omnibus, constituit, neminem, qui sumtis aduersus hostem armis in castris sit, vel suos miserit, si forte valetudine impeditus, in re præsenti ipse esse nequeat, vlla de caussa in ius vocandum esse. Edit. I p. 874

Land grauii Leuchtibergensis conducit operâ.

59) Expeditione sic decreta, Conradus nil prius habuit, quam vt militem legeret, sisteretque condictum. Statim igitur *Leopoldum* Leuchtenbergensem, pactione denuo cum eo dominica *Palmarum* facta, conduxit. Capita potiora erant; Leopoldus ducentos contraheret equites, probe instructos & armatos, vel lancea quemque vel arcu *(vnd ir iglicher ein armbrost oder spies zu sinen handen habe vnd sure vngeverlich)* & Moguntinis Saturni post sollemnem Ioanni Baptistæ diem ad oppidum Weidam iungeret: Conradus vnicuique in menstruum stipendium quinque numeraret florenos.

Cazenelenbogiis inducias denuntiat.

60) Et quum per id temporis cum Cazenelenbogiis, *Philippo* seniore & *Philippo* iuniore, implicitus adhuc esset bello, eisdem litteris die Veneris post dominicam *Quasimodogeniti* exaratis denuntiauit, se Cæsaris ad mandatum, per integrum triennium, initio a die Martis post dominicam *Misericordias Domini* dictam facto, omnes aduersus ipsos actus hostiles intermissurum.

a Clero decimam prouentuum exigit.

61) Ad alendum vero militem cum præsenti opus esset pecunia, a Clero ciuitatis æque ac diœcesis Moguntinæ decimam omnium prouentuum anno præterito perceptorum ære soluendam exegit, *Ioanne* de *Rodenstein*, *Hermanno Mörle*, ad ædem maiorem Canonicis, *Ludouico Itstein*, ad D. Petri Scholastico, & *Hermanno* de *Bensheim*, Canonico ad gradus, qui eam colligerent, ipso die SS. Viti & Modesti institutis.

Synodũ conuocat prouincialem.

62) Inde sollicitum habebat Concilium Basileam indictum. Suberat enim tempus, quo dandum ei erat initium. Consultum autem duxit, libere Patribus conscriptis aperteque exponere, quæ ecclesias Germaniæ premerent incommoda, quæue remedium poscerent ac emendationem. Ante tamen, quam in medium conferret ea, suis cum Suffraganeis maturo omnia discutere statuit consilio. Singulos igitur omnesque ad synodum prouincialem Aschaffenburgi ad diem XII Nouembr. habendam inuitabat, paterne rogans, vt ad dictum diem sibi adsint, vel, si id non liceat, Oratores plena instructos potestate mittant. Litteras, quibus Herbipolensem ad eam vocauit, habes in codice Diplomatico.

alios Germaniæ Archiepiscopos

63) Idem vt facerent, acrique ea, vna cum suis, peculiaribus in conuentibus, iudicio discernerent atque expenderent, *Salzburgensem, Magde-*

ad idem faciendum hortatur.

Magdeburgenſem, & *Bremenſem*, litteris XXI Septembris die datis, excitauit, vnumquemque obteſtatus, vt poſt ſynodum ſua in archidiœceſi habitam, nuntios ad XIX Nouembris diem Moguntiam deleget. Omnium enim optime, collatis in commune ſententiis, ſtatui poſſe, vti mala, quæ eccleſias Germanicas hactenus afflixerint, deformarintque, Patribus concilii ante oculos ponere conueniat. Litteris ipſis locus eſt in codice Diplomatico.

V Anno MCCCCXXXI menſe Decembri cœpit Concilium Baſileenſe *. Tumultuabantur, vt ſupra dixi, Moguntinenſes, nouum ſenatum creabant, monetam cudebant; ſed, Cæſaris tandem, Baſileenſisque Concilii auctoritate, lites conſopitæ omnes, vt in ſequente Archiepiſcopo dicetur: impetrarunt tamen a Conrado Domini Metropolitani contra iſtiusmodi populares iras oppidum Bingium, & teloneum Ehrnfels †.

*1) De prima ſeſſione, die XIV Decembris habita, quam etiam auctor ſine dubio in mente habuit, hoc intelligas. Iam enim die XIX Iulii Baſileam venerant *Ioannes Polemar*, & *Ioannes Raguſinus*, vicaria delegati poteſtate: quos Cardinalis *Iulianus*, Concilii Præſes, die IX Septembris ſecutus eſt. Vid. *Gerius* append. ad partem II hiſtoriæ litterariæ eccleſ. *Cauei* p. 323, *Hottingerus* hiſtor. eccleſiaſticæ Helueticæ ad h. a. p. 333 & ſeq.

†2) De Moguntinenſium aduerſus Clerum molitionibus confer, quæ n. 9 ſequentur pluribus. Nunc enim temporis, rerumque exigit ratio, vt ad annum progrediamur, qui poſt vindicem, aſſertoremque ſalutis humano generi natum fuit MCCCCXXXII.

agreſtes tumultuantes comprimendos ſtatuit.

3) Hoc autem ineunte agreſtium manus in tractu, qui *Gauia* vulgo dicitur, agmine facto, vexilloque expanſo confederat ante Vormatiam. Auſu non peſſimi minus exempli, quam temerario prorſus ac prorupto. Conradus colluuiem iſtam in articulo retundendam ratus, Bingæ cum vicinis Principibus aliisque deliberationem inſtituit. Quibus cum eadem mens eſſet, ipſa D. Dorotheæ memoria conuentum, eam ſine mora coniunctis viribus disiiciendam; nefarii vero huius conſilii ac tumultus auctores meritis afficiendos pœnis.

caſtrum Hattſtein expugnat.

4) Hæc dum fiebant, prædonum turba, quæ *Hattſteinii* (caſtro *Hattſteiniorum* gentili id nomen) ſe continebat, publica itinera quam infeſtiſſima reddebat, populationibus cuncta paſſim miſcebat, ferro igneque villas vaſtabat, magno illius tractus incommodo ac damno. Ipſe igitur, inito cum *Diethero* Iſenburgio, Ciuitate *Francofurtenſi*, *Adamo* de *Aldendorf*, *Ioanne Boos* de *VValdeck*, & *VVilhelmo* de *Staffel*, ſeniore, pacto, caſtrum id obſidione cinxit, & poſt multos labores tandem die S. Laurentii cepit. Conf. *Trithemius* chron. Hirſaugienſ. parte II p. 385, qui tamen id perperam *Hattſtatt* vocat. Expugnatum, vt ipſos inter peruigilio D. Iacobi conuenerat, in quatuor diuiſum fuit partes. Vna obuenit *Conrado*, vna *Iſenburgio*, vna *Francofurtenſibus*, vna ceteris.

pacat Epiſcopũ Wirzburgenſem, Canonicos & ciues.

5) Interea vero Herbipoli nouæ lites Epiſcopum Ioannem inter, ac ſummæ ædis Canonicos, ciuesque, quos ante biennium diſtractos itidem pacarat, exortæ erant, ac in fœdum excreuerant certamen. Hinc ipſe, vna cum *Friderico* Electore Brandenburgenſi, *Henrico* Duce Boiariæ, *Othone* C. P. Rheni, qui Mosbaci habebat ſedem, *Eberhardo* Magiſtro Ordinis Teutonici, *Richardo* de *Sickingen*, Equite, & *Sigiſmundo Stromero*, e Patritiis Norimbergenſibus, eximio tum auctoritate tum prudentia viro, id operam dedit, vt turbas iſtas componeret; quibus etiam Kitzingæ die Iouis poſt Mauricii modum ſtatuit. Cauſſas, cur inter ſe tum contenderint Ioannes, & iunctis cum Collegio principe animis ciues, fuſe exponit *Friſeus* l. d. cap. XLIII & ſeq. p. 711 & ſeq. quem adi.

fœdus aduerſus Huſſitas init.

6) Dum ita de rebus eccleſiæ in meliorem formam redigendis, ac vicinis ſtudioſe tranquillandis laborabat, Huſſitæ in varias Imperii graſſabantur prouincias, ſuoque more prædis agendis, incendiis, latrociniisque easdem deuaſtabant. Ne ſuis excurſionibus ac rapinis terris ad Rheni Mœnique fines eſſent infeſti, *Ludouicus* Comes Palatinus Rheni, Princeps Elector, & Antiſtes Herbipolitanus *Ioannes* viribus conſociatis prouidendum ſtatuebant. Quod conſilium, cum ad periculum commune auertendum faceret, non probauit modo Conradus, verum etiam ſine mora in vnum eum ipſis aduerſus eos fœdus coiit. Tabulis id comprehenſum fuit Aſchaffenburgi Iouis ante feſtum Michaeli Archangelo diem.

Wirzburgenſem, vt Baſileam ſe conferat, monet.

7) Ioanni dein, Antiſtiti Herbipolenſi, omni inſtitit ſtudio, vt Baſileam ſe conferret ad Concilium, ſi modo poſſet; ſin minus, expertæ tamen prudentiæ ac ſpectatæ auctoritatis viros illuc mitteret, qui iunctis cum Legatis Moguntinenſibus animis conſiliisque de eccleſia a prauis dogmatibus purganda, ac ſanctiore diſciplina in vſum reuocanda ſeriam ſuſcipiant cogitationem. Diſcas id ex litteris, XX menſis die ad ipſum datis.

baſilicam Höchſtenſem in parochialem mutat.

8) Luculentum ceteroquin eodem hoc anno ſui in emendandis, meliusque formandis eccleſiarum ſibi concreditarum rebus zeli exemplum dedit. Eſt Höchſtl baſilica, *SS. Inſtini*, Presbyteri & Confeſſoris, nec non *Margaretæ*, virginis & martyris, dicata honori. Eam olim Archiepiſcopus Ruthardus Abbati & contubernio ad *D. Albanum* extra mœnia Moguntina, qui tum pietate, vitæque integritate magna apud omnes erant exiſtimatione, attribuerat. Quam etiam Cœnobitæ aliquandiu naua ſacris curabant opera. Poſt vero, temporum malignitate a priſca ſenſim diſciplinæ norma, veterisque religionis vſu ad inertiam luxumque traducti fere negligebant, ſuo tantum animo morem gerentes. Monachus certe *Præpoſiti* titulo huc miſſus ferme nil

minus agebat, quam vt res diuinas pleno faceret ritu. Hunc in religionis operibus teporem haud amplius ferendum esse, cum recte existimaret Conradus, basilicam istam in parochialem extulit, omnibusque eam iuribus ac priuilegiis, quæ parochialem constituere solent, cohonestauit; liberali simul stipendio Curioni, qui sacris eam curet officiis, constituto.

Moguntinis Clerum grauantibus,

9) Sedenim ex vero supra dictum, quod per ipsos hosce dies Moguntini Clerum omni exagitarint ratione. Quippe alia inter nouum vectigal cibariis imponebant, vt eum hoc magis grauarent; quin eo tandem procedebant audaciæ, vt mense Decembri, pœnis certis in transgressores constitutis, ediceret, ne quis ciuium & peregrinorum a quopiam Clericorum sibi vinum in vrbe coemeret. Et quamuis Conradus æque ac Clerus ausis hisce intercederent, hic priuilegia sua opponendo, ille, vt cœptis desisterent, semel atque iterum monendo, eodem tamen ii consiliorum tenore perstabant, immo immoderatius agebant omnia; quippe quos, nulla legis iniquæ ratione habita, a Clericis vinum mercari reperiebant, verberibus infectabantur, ac vasis ablatis mancipabant carceri; haud veriti, Presbyterum quendam, vt eiscum hac de re conferret missum, equo, quo vehebatur, violenter detractum, per vrbem palam, veluti latronem quendam, raptare, & nouem dies captiuum detinere; vt plura alia, quorum *Ioannes Rodenheim* in libello Concilii Basileensis Patribus porrecto mentionem facit, præteream. Cum igitur tam contumaciter omnem & iuris & æqui rationem contererent, Clerus omnis vrbe excessit. *Inter Clerum*, inquit *Trithemius* chron. Hirsaug. ad an. MCCCCXXXIII p. 388, *& cines Moguntinos hac tempestate magna fuit dissensio pro conseruatione priuilegiorum ecclesiæ, quibus illi continue violentiam intulerunt. Vnde totus Clerus Moguntiam egressus, habitauit in Alta villa, & in Rhingaugia, vt potuit, hinc inde dispersus, quousque tandem interuenit concordia.*

Edit. I p. 874

hinc Clerus vrbe excedit

frustra intercedit,

VI Anno MCCCCXXXIII circa B. Petri cathedram cepit omnes Imperator Iudæos, qui Moguntiæ plurimi erant, & synagogam, vbi nunc Sanctorum omnium in Reuerendissimi D. Suffraganei domo, & nominatim SS. Simonis & Iudæ Apostolorum sacellum est.

Amenebur gi agit Conradus.

1) Quod ad Conradum attinet, is partem anniuersarii Christianorum ieiunii transegit Ameneburgi, vt ex iis, quæ in catalogo *Præpositorum B. M. V.* vulgo *ad gradus* ad *Ioannem* de *Selheim* notaui, patet.

res monasterii Bursfeldensis componit.

2) Inde concessit in Eichsfeldiam. Heiligenstadii vero cum esset, rebus monasterii Bursfeldensis in tranquillum redigendis haud grauate se dedit. Erant eæ tum satis turbatæ, *Ioanne* ab *Vffar*, Abbate, & contubernio inter se ab aliquo iam tempore grauiter dissidentibus. Caussa fuit, quod Ioannes cœnobio non ea, qua par erat, fide diligentiaque præesse videbatur. Cum vsque quam satis est inter se altercati essent, ex compromisso rem ante ramos *Palmarum* deferebant ad Conradum. Is partibus ad seruandum arbitrium sacramento adactis, dominica *Misericordias Domini* pacis leges dixit, sententiamque tulit; primum, vt cœnobitæ ad vitæ incorruptæ & modestiæ redeant officia; dein, vt Ioannes magistratu abeat, in aliud se redigat Ordinis monasterium, & pro sumtu annuo viginti florenis & annonaria ad vitam prouisione contentus sit.

monetur a FP. Concilii vt Clerum reuocet & cum ciuibus componere studeat.

3) Confusa Moguntiæ, vt supra dictum, religione, abdicatisque sacris, Concilii Basileensis Patres graui seriaque Conradum monuerunt compellatione, vt quantocius Clerum reuocaret in vrbem, ac inter partes tentaret concordiam; quod si reconciliationi locum haud concederent, ciuibus, vt a vi sibi temperent, præciperet; vtrisque vero certum diem, eumque haud nimis laxum, quo Basileæ coram Concilio in ius ambulent, daret constitueretque, vti plenius cognoscere est ex ipsis illorum litteris, in codice Diplomatico allatis. His ille dicto audiens, nil prius habuit, quam vt vtrisque ad pacem tranquillitatemque reuocandis curam adiiceret. *Trithemius* testis est, & l. d. p. 388 *anno*, inquit, *prænotato* (MCCCCXXXIII) *feria quinta post festum S. Iacobi Apostoli conuenerunt in oppido memorato* (Eltvil) *Conradus Archiepiscopus Moguntinus, Theodericus Archiepiscopus Colonienſis, & cum eis Episcopus Leodienſis, commissionem habentes a Basileensi Concilio, vt inter dissidentes* (Clerum scilicet ac ciues Moguntinos) *concordiam reformarent. Aderant ex parte Cleri Comites decem & septem cum Nobilibus multis: ex parte ciuium missi quidam ex Spirensibus, VVormatiensibus, Franckenfurtensibus. Verum in illa dieta non fuit inter eos reformata concordia.* Cum ita labor, quem iis in amicitiam concordiamque redigendis impenderat, in cassum cecidisset, litteris, vt id statim addam, XVIII die Nouembris Ehrensels scriptis Concilii Basileensis Patres quam enixissime obtestatus est, vt finiendis inter eos inimicitiis manus serio admoueant, Iudicibusque, quibus negotium demandatum, mandent, vt litem quamprimum iusto decidant æquoue iudicio. Conf. huc istas; dedi enim in codice, quem modo dixi, Diplomatico.

re infecta, Concilium ad componendā hanc litem hortatur.

4) Hæc inter autem religionis ductus studio, ad preces Collegii, quod Erfurti ad *D. Seuerum* est, edicto Altvillæ ipsis Kalend. Augusti edito statuit, festum translationis *D. Seueri* in posterum a. d. XI Kal. Nouembr. in omnibus ac singulis oppidis, villis, ac locis diœcesi Erfurtensi contributis sollemni sacrorum specie celebrandum, XL dierum indulgentiis omnibus, qui bene præparati ac vitæ anteactæ sordibus expiati, sacris istis interessent, indultis, vt in codice dicto videre est.

festum D. Seueri transfert.

VII Ful-

ad p. 747

* * * *

* Albertus
Pincerna de Erpach,
† 3 Id. Non. an. 1312.
vx. *Gisela*, fil. *Wilhelmi de Ochsenstein*.
† 12 Kal. Ian. an. 1298.

* Eberhardus,
† ipso festo *Andreæ* an. 1327.
vx. *Mena*, Comes Sponheimensis.
† 4 fer. post *D. Iacobi* an. 1341.

* Henricus,
† an. 1387, ipso die *Ioannis* Apostoli.
vx. *Elisabetha*, fil. *Ulrici*, Domini *de* Bickenbach.
d. an. 1360, † an. 1389.

* *Tres hasce priores generationes sive propagines ex tabula genearchica, quam Erpacenses superioribus annis cum amico quodam communicarunt, desumsi. Vi probationibus eas firmarent, optavi, petii; sed incassum.*

a) Sigefridus.

Wolfgangus.
† an. 1412.

b) g) Eberhardus.
b) † iam an. 1425.
vx. *Maria*, filia *Conradi*, Domini *de* Bickenbach.

b) Otho
c) Satrapa *Miltenbergensis* factus an. 1439.
vx. *Amalia*, f. *Georgii*, Comitis Wertheimensis.
d) † iam an. 1451.

Ioannes,
e) constitutus an. 1435 Satrapa *Heppenheimens. Bensheimensis & Starckenburgensis*,
f) an. 1450 *Furstenauiensis*.
† an. 1454.
vx. *Agnes*, fil. *Conradi* iun. Pincernæ *de* Erpach.

g) DIETERICVS
Archiepiscopus Moguntinus,
el. an. 1434. † an. 1459.

b) Philippus,
Abbas Weissenburgensis,
i) ab an. 1434 ad an. 1467.

k) Dietherus,
factus an. 1434 Canonicus Moguntinus.
l) † an. 1437, pervigilio *D. Nicolai*.

Agnes,
m) vx. *Conradi* Pincernæ *de* Erpach.
d. an. 1412.

o) Constantina,
† virgo Moguntiæ
circa an. 1442.

m) Philippus,
n) vx. *Lucardis*, f. *Eberhardi* Domini *de* Eppenstein.

a) In schemate dicto dicitur occubuisse in prælio Sembacensi, quod notandum. In catalogo exforum, quem *Fugger* lib. 3 *des Oesterreichischen Ehrenspiegels* cap. 11 p. 370 & seq. dedit, haud occurrit.

b) *Ich Schenck Otte, Herr zu Erpach, Schenck* Eberhards *sel. Sone* &c. 1425.
Ich Schenck Otte, *H. z. E. Schenck* Eberhards *sel. Sone, bekenne — von solichs Burglehens wegen, so derselbe mein Vater selige* &c. *Datum am S. Laurentzen tag*, 1452.

c) *VVir* Dieterich *E. z. M. — dass wir den Edlen Schenck* Otten, *Herrn zu Erpach, unsern Bruder — zu unserm und unsers Stifts Ampman zu Miltenberg gesatzt und gemacht han* &c. *Datum am Fritag nach S. Vits tag* 1439.

d) *Zu wissen, als der Edel Schenck* Otte, *Herr zu Erpach, an den —* Dietrich *E. z. M. — ansprach vermeinet zu han — umb Sture, so sin Gnaden »siner Husfrawen sel.» zugesagt — umb erbeil sins Bruders* Diethers *sel. wegen &c.* Miltenberg festo *Thomæ* Apostoli 1451.

e) *VVir* Dieterich *E. z. M. — dass wir den Edlen Schenck* Hansen, *Herrn zu Erpach, »unsern lieben Bruder, zu unserm und unsers Stifts Ampman zu Heppenheim und Bensheim, und was zu dem Schlosz und Ampt zu Starckenburg gehoret, gesatzt und gemacht han —* Eltvil am Montag nach dem Palmtag 1435.

f) *VVir* Dieterich *E. z. M. — dass wir den Edlen Schenck* Hansen, *Herrn zu Erpach, »unsern lieben Bruder, zu unserm und unsers Stifts Ampmann zu Furstenaw gesatzt, und gemacht han — Aschaffenburg nach dem H. Cruz tag*, 1450.

g) *Ich Schenck* Dieterich, *Herre zu Erpach, Dumherr zu Menze, bekenne, — dass ich schuldig bin — Herrn* Peter Kern, *Capplan S. Barbarn-Altars zu Michelstatt — mit wissen »myns lieben Vaters, Schenck* Ebirhart, *Herrn von Erpach —* 1415, Martis ante Pentecosten. Vt adeo erret *Imhof*, dum Notit. Procerum Imperii lib. 8 cap. 3 § 2 p. m. 555 *Theodericæ* patrem vocat *VVolfgangum*.

h) Ephemerides manuscr. *Perrenſiones*, qui Erfurti ex *D. Benedicti* norma viuunt, ad an. 1440: *Et Reuerend. Pater, Dominus* Magnus, *Episcopus Hildesheimensis, Dominus* Hermannus, *Episcopus Cirrensis, Suffraganeus in pontificalibus*, Hermannus *de* Bechenonia, *Abbas Fuldensis, Dominus* Abbas *in* Wilsenburg, *»germanus Domini Moguntini, Comes ac Domicellus in Rheno, nec non Comites in Almania venerunt cum eo*, Theodericus Isaiset, Erfurtum.

i) Vid. *Browerus* cennur. I monasteriorum Germaniæ p. m. 23.

k) *VVir* Dieterich *E. z. M. — dass wir dem Edlen Schenck* Diether, *Herrn zu Erpach, Dumherrn zu Mentz, »unserm lieben Bruder, unsern Hof*, der Thiergatten *genant* &c. *Datum am Montag in der Cruzwochen*, 1435.

l) Vid. *Syllabus* noster *plenior* sectione 6 p. 356.

m) *Ich Schenck* Otte, *Herr zu Erpach, — Als etwan der Edel Schenck* Conrad, *Herr zu Erpach, min Swager — derselbe min Swager nun von todes wegen abgangen ist, und einen Sohn, genant* Philips, *hinter sich gelassen hat, dass darum der obgenant min gned. Herr von Mentze mir solche nachgeschriebene guter zu Manpart wysse zu tragen* &c. 1425 Dienstag nach *S. Peters tag*.

n) *Ich* Eberhard *von* Eppenstein *erkenne — dass ich min eigen ingesigel von bete wegen des obgenant. Schenck* Philips, *»mins lieben Eydam, an diesen brieff han gehangen —* 1452, sabbato post dominicam *Reminiscere*.
Ich Schencke Philips, *Herre zu Erpach bekenne — solichen teil, als mir der Edel* Eberhart, *Herre zu Eppenstein, myn lieber Schweher, ingeben hat an symer teil an Brubergk* 1432 &c. Martis post dominicam *Lætare*.

o) Sic enim in catalogo quodam vetusto defunctorum e societate *B. M. V. & S. Christophori* an. 1480 Moguntiæ instituta, & an. 1386 ab *Adolfo I.* Archiepiscopo confirmata; *Jungfraue* Constina *Schenckin von Erpach, sorur Domini nostri Moguntini.*

ad p. 747

* *Tres haſce priores generationes*
ex tabula genearchica, qu
ſuperioribus annis cum amic
municarunt, deſumſi. Vi
eas firmarent, optani, p
caſſum.

b) Otho
c) Satrapa *Miltenbergenſis* factus an. 1439.
vx. *Amalia*, f. *Georgii*, Comitis Wertheimenſis.
d) † iam an. 1451.

Ioannes, gnes,
e) conſtitutus an. 1435 Satrap incernæ *de* Erpach.
Bensheimenſis & *Starc* an. 1412.
f) an. 1450 *Fürſte*
† an. 1454
vx. *Agnes*, fil. *Conradi* iun. Pi

o) Conſtantina,
† virgo Moguntiæ
circa an. 1442.

lippus,
ai Domini *de* Eppenſtein.

a) In ſchemate dicto dicitur occubuiſſe in prælio Sembacenſi, quod notandum. In catalogo cæſorum, quem *Fugger* lib. 3 *des Oeſterreichiſchen Ehrenſpiegels* cap. 11 p. 370 & ſeq. dedit, haud occurrit.

b) *Ich Schenck* Otte, *Herr* zu *Erpach*, *Schenck* Eberhards *ſel. Sone* &c. 1425.
Ich Schenck Otte, *H. z. E. Schenck* Eberhards *ſel. Sone, bekenne — von ſolichs Burglehens vvegen, ſo derſelbe min Vater ſelige* &c. *Datum am S. Laurentien tag*, 1432.

c) *VVir* Dieterich *E. z. M. — daſs vvir den Edlen Schenck* Otten, *Herrn* zu *Erpach*, *vnſern Bruder — zu vnſerm vnd vnſers Stifts Amptman* zu *Miltenberg geſatzt vnd gemacht han* &c. *Datum am Fritag nach S. Vits tag* 1439.

d) *Zu vviſſen, als der Edel Schenck* Otte, *Herr* zu *Erpach, an den* — Dietrich *E. z. M.* — *anſprach vermeinet zu han — vmb Sture, ſo ſin Gnaden »ſiner Husfravven ſel.» zugeſagt — vmb erbtheil ſins Bruders* Diethers *ſel. vvegen &c.* Miltenberg

berg f— *derſelbe min Svvager nun von to-*
e) *VVir* *gangen iſt, vnd einen Sohn, genant*
Schen *er ſich gelaſſen hat, daſs darum der*
ben, E *gned. Herr von Menze mir ſoliche*
man *ne güter in Monpars vvyſe zu tra-*
dem Dienſtag nach *S. Peters* tag.
ſatzt *von* Eppenſtein *erkenne — daſs ich*
dem *ſiegel von bete vvegen des obgenant.*
f) *VVir* ps, »*mins lieben Eyden, an dieſſen*
Schen *angen* — 1432, ſabbato poſt domi-
ben E *ſcere.*
mann ilips, *Herre* zu *Erpach bekenne —*
Aſch *als mir der Edel* Eberhart, *Herre* zu
g) *Ich S* *myn lieber Schvveher, ingeben hat an*
herr *Brubergk* 1432 &c. Martis poſt domi-
bin .
barn talogo quodam vetuſto defunctorum e
lieben *l. V. & S. Chriſtophori* an. 1380 Mogun-
paeh & an. 1386 ab *Adolfo I* Archiepiſco-
Imhof ; *Iungfraue* Conſtina *Schencken* von
§ 2 p. *or Domini noſtri Maguntini.*

Edit. I p. 874

VII Fuldenſibus nimium rebus ingerere ſe Ludouicum Haſſiæ Landgrauium ægre ferebat Conradus; Fuldam obſedit, manusque cum illo, ſed parum feliciter, conſeruit *.

*1) Atenim hæc anno MCCCCXXVII contigiſſe, ſupra oſtenſum eſt.

Teſtamentum facit.

2) Sequitur annus, quem in vita vltimum habuit, MCCCCXXXIV. Enimuero, animo tum ipſe præſagiens, breuem ſibi vitæ ſupereſſe vſuram, mox cum ſapienter, tum ſerio de vltimis cogitare cœpit. Mercurii vero poſt ferias Pentecoſtales Eltvillæ vltimæ voluntatis ſuæ edidit tabulas. His ædis metropolitanæ Canonicis *ad præſentias*, quæ dicuntur, vineas in tractu Lorchenſi, obitu *Ioannis Schrammii* de *VValdeck*, feudi caduci titulo, tum vacuas, reliquit, ac in has legauit conditiones; primum, vt ſe viuo quidem, patris ſui matrisque cultum anniuerſarium funebri ritu inſtaurent, eorumque pro ſalute *ſeptimi* ac *triceſimi diei* officia rite celebrent; vita vero cum exceſſerit, tum ſibi cæremonia parentent ſollemni, gratamque quotannis ſui memoriam eodem cultu, iisdemque temporibus agant. Dein, vt ante ædiculam in templi medio, vbi tumuli locum ſibi elegerit, demortuum inferant conditorio. Volebat autem ſarcophagum ſibi parari, cadauereque recondito, locum ſterni aſſeribus. *Auch ſal die Preſencie*, ita in tabulis inquit, *vns ein grab beſtellen mitten in vnſrem Dume vor dem Capelchin vnd Elter, do vvir vnſer begrebde hain gekoren; vnd ſal eynen redelichen ſarcke vff das grabe laſſen havven, vnd den in die erden verſencken, vnd eynen deckel daruff *, den man zu yderzeit, ſo man vnſer iarzyt, ſiebenden vnd driſſigſten begeet, ſal vff thun, vnd vier kertzen daby ſetzen, als andern Erzbiſchoffen vnſern Forfarn ſeligen.*

* *Operterium hocce hodie adhuc conſpicere eſt; quod hic notandum.*

3) Tum vero Vicariis, quos deceſſor Ioannes II recens inſtituerat, liberali conſuluit ſtipendio, vtrique illorum adſignatis XXX puri frumenti modiis. Conſtituit autem, vt hoc deuincti beneficio bis per hebdomadem in ara B. M. V. Miſſæ peragant officium; in ea vero, quæ in medio ſita, quotidie.

corporis forma,

VIII Hominem ait *MS* fuiſſe *corporis forma præſtantem, ſed cuius illecebris indulgentius nonnunquam obſequutus ſit.*

animique virtutibus conſpicuus fuit.

Alii autem non a ſpecie tantum corporis laudant illum, ſed animi etiam virtutibus. *Latomo* dicitur *Princeps lenis & erga amicos benigniſſimus*; aduerſus malos vero ſibique inimicos animi imperterriti; *ein groſsmuthiger, vnſurchtſamer, vnd gantz trotziglicher feind*, vt in manuſcr. *Auguſtinianor.* eſt; qui addit, apud Cæſarem, aliosque Imperii Principes in magna fuiſſe exiſtimatione. *Trithemio* l. d. p. 364 audit *amator Cleri, & ſtudioſus defenſor populi.*

Moritur.

IX Eſt autem a corpore auocatus Eltuillæ anno MCCCCXXXIV, ſabbato poſt cathedram S. Petri, vt ait *MS.* aut die X Iunii, vt vult *MSL* *.

*1) Quin & alii; *Trithemius* chron. Hirſaug. ad h. a. p. 389, *Lerſnerus* chron. Francofurt. l. d. Et recte quidem. Hoc eodem namque die illum obiiſſe, lapidis ſepulcralis prodit inſcriptio, quam inuenies in libello *de Epitaphiis*.

2) Præfuit itaque Archiepiſcopatui *annos fere quindecim*, vt bene *Trithemius* l. d. p. 364 habet; ex quo interpreteris tum *Langium* in chronico Citizenſi p. 883, tum *Dieffenbachium* in catalogo manuſcr.

THEODERICVS.

I

IMperii Pincerna & Dominus in Erbach *, Canonicus metropolitanus †, Bingii fuit ad eccleſiæ Moguntinæ gubernationem aſcitus anno MCCCCXXXIV, in S. Apoſtolorum Petri & Pauli octaua.

ſtirpe Comitum Erpacenſiū fuit ortus,

1) Ortus fuit *Theodericus* familia tam imaginibus, quam meritis maxime illuſtri, *Dominorum* ſcilicet, vt tum vocabantur, vt hodie vero appellantur, *Comitum Erpacenſium:* qui cum Palatinatus ad Rhenum Pincernæ ſint hereditarii, olim *Pincernæ* de *Erpach* ſunt appellati. *Spenerus* operis Heraldici parte ſpeciali lib. II cap. XXIII § XVIII p. 442, *Imhofius* notitiæ Procerum Imperii lib. VIII cap. III § III p. m. 555.

2) Parentes, quibus natus fuit, partemque illuſtriſſimorum Maiorum ſchema, quod appono, ob oculos ſiſtit.

* * * *
* *